



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 90119266

§. 3. Expostulatio Pontificis cum Hispaniæ Præsulibus ob Philippi Regis
mandata effectui data.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

quibus se ob favorem Carolo impensum objecisset, Comaclensem urbem restitui petiit, eoquod nequidem interpellatus, & sine belli denuntiatione ea pacifice possessa spoliatus fuisset, non sine magno periculo, ne hæretici cognoscentes, Cæsarem cum Papa collidi, inde fidem Catholicam deprimendi ansam fumerent.

Sæc. XVIII.
A. C. 1709.

§. III.

Expostulatio Pontificis cum Hispaniæ Præsulibus ob Philippi Regis mandatum effectui datum.

Quamvis Pontifex, ut Philippum V. Hispaniæ Regem placaret, Ottonium Cardinalem Gallici Regni Protectorem in Cancellarii Apostolici munere confirmasset, ac militibus nuper exauctoratis, ut Hispani Regis signa sequi possent, permetteret, adeo tamen ejusdem Principis indignatio non deferbuit, ut novo mandato ad omnes Hispaniæ Præsules transmissio, etsi se spiritualem auctoritatem, usumque supremæ jurisdictionis Ecclesiasticæ nullatenus impediturum profiteretur, sanctiora quædam ad spiritualem potestatem pertinentia per suos Ministros attrectari, ac inspicere præciperet, & Apostolicarum literarum executioni

Kettler Dec. V. p. 592. tom. 3. Epist. Clem. XI. p. 564.

Sæc. XVIII. nova impedimenta objiceret, claves-
A. C. 1709. que ad Nuntii Apostolici Palatium,
 Archivumque sibi tradi peteret, quas
 tamen custos ad manus Divi Petri in
 Ecclesia Parochiali, instrumento desu-
 per Notarii manu confecto reposuit. In-
 super Josephus Molinæsius Rotæ Ro-
 manæ Decanus, qui Philippi Regis par-
 tes tuebatur, Romæ affixo proclamate
 Hispanis vetuit, ne ad Pontificem pro
 quocunque beneficio Ecclesiastico con-
 sequendo recurrerent, aut pro litera-
 rum Apostolicarum expeditione pecu-
 niam numerarent, eoquod Pontifex
 hæc pecunias Cæsareis militibus con-
 tributionis nomine ministraret: plura
 alia ejusmodi mandata Hispaniæ Præ-
 sules ad omnes Ecclesiasticos transmi-
 sere: quapropter Pontifex Molinecium
 omni dignitatis & officii exercitio exu-
 tum Aula Romana faceffere jussit, &
 indicta anathematis pœna ubicunque
 promulgata ejusmodi mandata legi ac
 retineri, Mense Octobri vetuit. Jam
 antea die vigesima quarta Augusti ad
 cunctos Hispaniæ Præsules querulas
 hæc dedit literas, quas, cum Ponti-
 ficis genium ejusque dolorem, ac Ze-
 lum vivis coloribus exprimant, inte-
 gras huc adducere, haud incongruum
 esse videtur. Erant autem hujus te-
 noris:

„Nisi

„Nisi eo jam devenissent res in con- Sæc. XVIII.
 „spectu totius Christiani populi nuper A. C. 1709.
 „in istis Partibus actæ, ut æquo ani-
 „mo, ac sine onere Conscientiæ nostræ
 „præteriri silentio, aut ferri diutius a
 „nobis non posset gravis adeo, ac pu-
 „blicus non tam dignitatis, quam Pon-
 „tificiæ nostræ auctoritatis contemptus,
 „& injuria: sustineremus utique, ac dum
 „maledicimur, benedicentes, chari-
 „tati nostræ indulgere pergeremus, con-
 „fisi sane, quod, quæ prævalentibus præ-
 „vis consiliis adversus nostra, & Apo-
 „stolicæ Sedis, ipsiusque Ecclesiæ jura,
 „ac majestatem isthic admitta fuerunt,
 „debita tandem actorum rescissione, &
 „congrua tantorum gravaminum repa-
 „ratione essent farcienda. Atque ita
 „sane Nos sperare faciebant tum sin-
 „gularis illa, ac nedum Nobis, sed uni-
 „verso prope terrarum orbi perspecta
 „inclita Nationis Hispanicæ pietas,
 „tum constans, ac perpetua illius, ejus-
 „que Regum in sanctam Romanam Ec-
 „clesiam observantia, studio potissimum,
 „ac vigilantia Fraternalitatum Vestrarum
 „solerter exulta. Verum cum non
 „modo, quæ perperam acta sunt, mi-
 „nime, ut par erat, hætenus emen-
 „dari, sed potius novorum accessione
 „facinorum magis magisque in dies
 „confirmari acceperimus: Vobiscum
 „inju-

Sæc. XVIII. „injuriam hanc nostram, itidem, at-
 A. C. 1709. „que vestram, graviter expoſtulare de-
 „crevimus. Et fane poſt publicum ſcan-
 „daluſ expulſionis ab iſtis Regnis
 „(quod Nos pudet, ac piget comme-
 „morare) Venerabilis Fratris Antonii
 „Feliciſ Archiepiſcopi Damasceni no-
 „ſtri, & Apoſtolicæ Sedis Nuntii, poſt
 „cuſtodiam ipſi ita in itinere adhibi-
 „tam, ut e Fraternitatuſ Veſtrarum
 „colloquio, nedum obſequiis, quæ
 „certe pro pietate veſtra, ac veteri in
 „hanc S. Sedem, & Pontificiuſ no-
 „men cultu, ei minime deſuiſſent, pe-
 „nitus arceretur, poſt ejeſtos ejuſ Cu-
 „riæ Miniſtros, Tribunal aboſitum,
 „occupata Tabularia, quid tandem ini-
 „quiſ excogitari potuit Mandato illo
 „Regii nominis authoritate, ſeu po-
 „tius abuſu, ad ſinguloſ Episcopaliſ
 „Ordiniſ veſtri directo, quo perinde
 „acſi viſibile Caput Eccleſiæ, quod Nos,
 „licet immerentes, ſumus, & quam-
 „diu Deus tulerit, conſtanter erimus,
 „deſiſſet, aut quaſi munuſ ipſuſ Apo-
 „ſtolici Nuntii, eique a Nobis attributæ
 „facultateſ non alia ratione, niſi quia
 „Sæculi poteſtaſ ſic juſſit, ceſſaſſent,
 „quodcunquē cum Romana Curia, hoc
 „eſt, cum ipſa veræ Religionis Arce
 „Commerciuſ interdicitur, atque in-
 „terim in rebus Sacriſ, & Eccleſiaſticis
 „ad

„ad Apostolicam Sedem, ejusque Nun-
 „tium unice pertinentibus, injuste non
 „minus quam nulliter, Vobis, qui Christi
 „Domini estis, agendi forma præscribi-
 „tur. Quis audivit unquam a sæculo
 „talia? præsertim apud Hispanos, qui
 „Catholico non tam nomine, quam
 „fervore gloriantur? quis unquam cre-
 „det hæc ejus nomine prodiisse, quem
 „paterno semper amore prosequi, præ-
 „cipuisque officiis, ac beneficiis deme-
 „reri non prætermisimus? Quid porro
 „ad Nos, si inter Charissimos Filios
 „Nostros Reges Orthodoxos, invitis,
 „ac mœrentibus Nobis, de Regnis, &
 „Principatibus diuturno nimis, ac per-
 „tinaci bello certatur? Numquid ut
 „Pacem inter eos aliquando concilia-
 „remus, quemadmodum communem
 „decebat omnium Parentem, defuimus,
 „fufis primum cum privatis, tum pu-
 „blicis ad Deum precibus, deinde of-
 „ficiis, opera, Legationibus? Nunquid
 „studia partium fovimus? aut alicujus
 „juribus, aut dignitati invidimus? Quid
 „tandem pro universi Populi Christiani
 „quiete, salute, felicitate potuimus
 „facere, & non fecimus? Nihil certe
 „hac in re Nobis (Apostolica verba
 „usurpare liceat) conscii sumus, nemi-
 „nem læsimus, neminem circumveni-
 „mus, omnibus æqua semper paternæ
 „Chari-

Sæc. XVIII.

A. C. 1709.

Sæc. XVIII. „Charitatis opera præsto fuimus. Unde
A. C. 1709. „vero gratiam sperabamus, injurias re-
 „portavimus, & dolentes clamare com-
 „pellimur: *Principes persecuti sunt me*
 „*gratis, & retribuebant mihi mala pro bo-*
 „*nis.* Quamobrem cum jam attingi
 „summa jura Ecclesiæ a sæculari pote-
 „state, & profanas manus ad Aram Dei
 „videamus fere admoveri, e suprema
 „Beati Petri cathedra insurgimus, &
 „præsenti periculo denunciato, admo-
 „nemus officii sui Fraternitates Vestras,
 „ac primum quidem enixe Vos horta-
 „mur, ut non minus Pastoralis Zelo,
 „quam humilitate Sacerdotali sanctæ
 „Dei Ecclesiæ causam viriliter agentes
 „revocare studeatis Regium animum ab
 „audiendis, admittendisque eorum con-
 „siliis, qui (ut Magni Augustini verbis
 „utamur) *inique, inordinate, perverse vo-*
 „*lunt levare aquam super oleum: demerge-*
 „*tur quippe aqua, oleum supereminebit; po-*
 „*nere volunt sub tenebris lucem: fugabuntur*
 „*vero tenebræ, lux manebit: super cælum*
 „*terram volunt collocare: pondere autem suo*
 „*cadet terra in locum suum.* Ostendite con-
 „silia hujusmodi, ut minime consona
 „ejus, qui illis utitur, famæ, ac saluti,
 „ita prorsus aliena esse a proposito con-
 „fovendi studium Religionis, ac tran-
 „quillitatis apud populos, a quibus,
 „utpote sincera, ac perpetua reverentia
 „Ro-

„Romanæ Ecclesiæ semper addictis, Sæc. XVIII.
 „credere est nova hæc, & inaudita A. C. 1709.
 „exempla sine interno quodam horrore
 „exaudiri non posse. Revocate in me-
 „moriâ, quæ olim conterraneus ille
 „vester Osius Episcopus Cordubensis,
 „Constantium Imperatorem admonens,
 „præclare scripta reliquit: *Desine quæso*
te, & memento te mortalem hominem esse:
time Judicii diem, teque ipse innoxium ad
eam diem custodias: Ne te rebus misceas
Ecclesiasticis, nec Nobis his de rebus præ-
cepta mandes, sed a Nobis potius hæc edi-
scas. Agite ergo, Venerabiles Fratres,
 „arguite, obsecrate, increpate in omni
 „patientia, & doctrina, ut fidentius in
 „posterum dicere possitis ad Deum:
Loquebar de testimoniis tuis in conspectu
Regum, & non confundebam. Dabit Vo-
 „bis Dominus in illa hora, quid loqua-
 „mini: dabit voci vestræ vocem virtu-
 „tis: dabit Regi cor docile, quo vestris
 „consiliis acquiescat, ac celeri male ge-
 „storum retractatione suæ non minus
 „famæ, quam conscientiæ consulat.
 „Agite potissimum, ut ille ope vestra
 „intelligat, quanti sua intersit, esse grato,
 „obsequentique animo in Apostolicam
 „Sedem, cujus (ut de reliquis modo
 „titulis fileamus) beneficio, ac libera-
 „litate, indictis sibi ad tempus ex pro-
 „ventu Ecclesiæ subsidiis pro tuenda
 „ad-

Sæc. XVIII. „adversus Barbaros, ac infideles re
A. C. 1709 „Christiana, & amplissima ista ditone
 „perfruitur. Quo quidem fructu Apo-
 „stolicæ concessionis profecto non ex-
 „pedit, ut per quemcunque recessum a
 „filiali erga eandem Sedem observan-
 „tia eum caruisse, aliquando dici con-
 „tingat. Ceterum quod ad vos atti-
 „net, scitis, quantopere ad Officium
 „Episcopale pertineat, Ecclesiastica Jura,
 „& Apostolicæ Sedis dignitatem, au-
 „thoritatemque tueri; quæ sicuti vio-
 „lari absque ingenti nominis vestri de-
 „decore, atque injuria non potest, ita
 „vestrum quoque est, ut a quocunque
 „incommodo, & periculis vindicetur.
 „Porro deploranda res esset, univer-
 „sæque Catholicæ Ecclesiæ plane acer-
 „bissima, si tot, ac tanti nominis, &
 „virtutis Antistites, quales Vos esse
 „novimus & gaudemus, quasi neglecta
 „fide, atque obedientia, posthabito-
 „que jure, honores, privilegia, & au-
 „thoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ,
 „& nostram conservandi, defendendi,
 „augendi, promovendique onere, quod
 „sponte, atque alacriter in solemni ve-
 „stra ad Episcopalem ordinem inaugu-
 „ratione jurejurando assumpsistis, in
 „tam aperta Ecclesiasticæ libertatis, ac
 „jurisdictionis oppugnatione; abjectis
 „justitiæ armis, & gladio Spiritus, quod
 „est

„est verbum Dei, turpiter fugeretis, Sæc. XVIII.
 „vel præsentēs calamitates, majora- A. C. 1709
 „que Vobis, ac dignitati vestræ immi-
 „nentia mala non satis æstimantes, in-
 „erti quodam veluti somno torpescere
 „videremini. Videte Filios hujus sæ-
 „culi quomodo non dormiunt, sed ar-
 „repta perturbatæ Reipublicæ occasio-
 „ne, prudentia carnis, quæ stultitia
 „est apud Deum, innixi, Principis
 „menti pravis dolosisque consiliis illu-
 „dere, atque ita per manifestam sacro-
 „rum Canonum infractionem in hære-
 „ditatem Domini palam irrumpere non
 „verentur. Nolite ergo Vos, qui Pa-
 „stores estis in Israel, muneri vestro
 „deesse: nolite Nobis pudori, pusillis
 „scandalo, domesticis fidei offensionibus
 „iis vero, qui foris sunt, exultationi
 „esse, ne forte Vobis, ut parum de
 „Ecclesiis, ac dignitate vestra, deque
 „commissi Vobis gregis incolumitate
 „sollicitis, exprobrari aliquando possit
 „propheticum illud: *Non ascendistis ex
 adverso, neque opposuistis murum pro Do-
 mo Israel; aut terribilius illud: quod in-
 firmum fuit, non consolidastis, & quod
 ægrotum, non sanastis, quod confractum
 est, non alligastis, & quod abjectum est,
 non reduxistis: dispersi sunt greges mei,
 & non erat, qui requireret.* Cæterum
 „illud in primis officii nostri esse duxi-
 „mus,

Sæc. XVIII. „mus, ut Fraternitatibus Vestris indi-
 A. C. 1709. „ceremus, ac denuntiarem, quem-
 „admodum per præsentis literas tra-
 „dita Nobis ab omnipotenti Deo au-
 „thoritate indicimus, ac denuntiamus,
 „abstinendum Vobis prorsus esse ab
 „attrectandis iis rebus, quæ supremæ
 „nostræ authoritati reservata, aut Apo-
 „stolico nostro Nuntio tantum a Nobis
 „commissa, ac specialiter demandata
 „esse non ignoratis. Ne vero absentia
 „illius obtentu, aut alio quovis titulo,
 „ac quæsito colore difficultatis tempo-
 „rum, sive intervalli locorum contin-
 „gat dubitari pro eventu occasionum,
 „quid factu opus sit, scire Vos volumus,
 „ipsum Antonium Felicem Archiepi-
 „scopum, ac Nuntium in civitate No-
 „stra Avenionensi, mandantibus No-
 „bis, constitisse, ibique actu degere,
 „ac paratum fore, utpote eisdem, qui-
 „bus antea, facultatibus instructum,
 „spiritualibus istorum fidelium necessi-
 „tatibus, ac commodis, quemadmo-
 „dum res exposcet, adesse. Etsi au-
 „tem pro certo habeamus, Vos probe
 „conscios, quibus finibus potestas vestra
 „contineatur (scientibus enim legem
 „loquimur) ultra quam Vobis fas sit,
 „non esse prætergressuros; abs re ta-
 „men non esse ducimus, quo id ipsum
 „magis cæteris omnibus innotescat,
 „Vo-

≡

„Vobis injungere, ne illis Beneficio- Sæc. XVIII.
 „rum collationibus, dispensationibus A. C. 1709.
 „etiam Matrimonialibus, recursibus,
 „appellationibus, aliisque similibus,
 „quæ ab Apostolico tantum Nuntio
 „cognosci, expediri, atque agi consue-
 „verant, manum ullo modo apponatis;
 „nullam enim in hujusmodi rebus fa-
 „cultatem Vobis, utcunque Episcopis,
 „sive Archiepiscopis, sive Primatibus,
 „sive etiam Cardinalitia dignitate præ-
 „fulgentibus, competere, aut per hu-
 „jusmodi absentiam Nuntii nostri de-
 „volutam fuisse, aut accrevisse decla-
 „ramus; & nihilominus, ne ullus su-
 „persit dubitandi, aut interpretandi
 „locus, & ad uberiores cautelam,
 „omnem Vobis circa præmissa potesta-
 „tem prorsus adimimus, irritum ac ina-
 „ne declarantes, quidquid secus scien-
 „ter, vel ignoranter attentari contige-
 „rit &c.„

Hæc omnia Pontifex sub interdicti,
 suspensionis & excommunicationis pœ-
 na præcepit, declaravitque, omnes di-
 spensationes, etiam Matrimoniales,
 Beneficiorum collationes, sententias,
 matrimonia sic contracta fore nulla,
 proles illorum illegitimas, & successionis
 inhabiles, eosque, qui ejusmodi bene-
 ficiorum collationes acceptare ausi fue-
 rint, in valeros & intrusos esse, Pœni-

Hist. Eccles. Tom. LXXVIII. B ten-

Sæc. XVIII
A. C. 1709 tentiarios, & Parochos ab Episcopis
Regio mandato obsequentibus nomi-
natos, suæ potestatis usu, Beneficiis
provisos suffragio in Capitulis privatos
esse. Insuper sub iisdem pœnis prohi-
buit, ne Præsules ad spolia Prælato-
rum, ad fructus vacantium Ecclesia-
rum, ad exactionem Quindenniorum,
aut ad alia occupanda jura Apostolicæ
Sedi debita manus extenderent, sed
potius laicos & Ecclesiasticos, si qui
ea usurpare præsumperint, censuris
coercerent. Ejusdem ferme tenoris
litteras Pontifex ad utrumque Hispaniæ
Clerum dedit. Denique Archiepiscopum
Cæsar - Augustanum Generalem
Hispaniarum Inquisitorem die decima
quarta Decembris summis laudibus ex-
tulit, eoquod se minime permissurum,
ut in sua Diæcesi per laicæ potestatis
licentiam manus apponerentur ad ea,
quæ auctoritati Pontificia per eos, qui-
bus hæc facultas delegata est, confici
consueverunt, aperte professus esset,
ipsumque Philippum Regem a susceptis
ejusmodi consiliis, per quæ jura & li-
bertatem Ecclesiæ, Pontificisque au-
toritatem certis finibus circumscrjbere
videbatur, revocare curasset.